

- ambasator, si contingerit ire in ambasatam comunis. ¶ Item non facere donationem alicui persone de bonis // comunis, nec pactum aliquod facere cum aliquo homine de aliqua arte a quadraginta frx. superius sine voluntate et consensu maioris partis maioris consilii; et qui contrafecerit restituat in duplum comuni; a quadraginta denariis inferius si donationem vel pactum fecerint, facere debeant cum maiori parte suorum colegarum; nec donationem aliquam facere alicui habenti offitium pro comuni preter quam suum salarium stabilitum. Et non expendere neque expendere posse per se solum ultra sold. decem par. per diem, nisi de suorum sociorum sive colegarum processerit voluntate. ¶ Item non ponere in consilio rogatorum aliquam petitionem porrectam per aliquam personam nec legi vel disputari facere, nisi maior pars ipsorum fuerit in concordia. ¶ Item non ponere in maiori consilio de absolvendo potestatem vel vicarium loco potestatis de aliquibus sententiis in civilibus dilatatis suo tempore vel precessoris sui, quas teneretur diffinire, etiam sub pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet iudice contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Nec recipere aliquem offitiale in aliquo offitio in quo esse non possit, etiam sub pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet iudice et vice qualibet contrafacta, nec ponere vel poni facere in aliquo consilio aliquam gratiam petitam per aliquem potestatem vel vicarium loco potestatis, seu per aliam personam nomine ipsius, de aliquo termino sibi prolongando ultra terminum ad quem venire deberet ad suum regimen, nec etiam de dando vel fatiendo sibi aliquam gratiam exeundi extra districtum civitatis Tergesti contra formam statutorum civitatis predicte scriptorum libro primo capitulo secundo de forma sacramenti potestatis, etiam sub pena libr. quinquaginta par. pro quolibet iudice [contrafatiente] et vice qualibet contrafacta. ¶ Nec etiam ludere ad aleas sive ad scachos, etiam pena centum sold. ¶ Quorum iudicum saltim unus eorum stare debeat continue de die in platea infra confines designatos, etiam pena quadragi[n]ta frx. pro quolibet ipsorum contrafatiente et vice qualibet contrafacta. Et fieri facere monstram armorum generalem hominum de Tergesto prout eis melius videbitur expe-
- 22 B